





*P. 408*

9  
1772, 22.

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN  
**STATVTARIA PORTIO DE-  
BEATVR VXORI, QVAE CVM RE-  
FRACTARIO INVITO SACERDOTA-  
LI COPVLA CONIVNCTA EST, LI-  
CET CVM EO POSTEA THORVM  
NON ADSCENDERIT**

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

**D. CHRISTIANO HENR. BREVNING**  
PROFESSOR. PUBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITER. DIVISBVRG.  
SOCIO

IN AUDITORIO PETRINO

DIE XII. OCTOBR. ANNO CIOIOCCLXXII.

DEFENDET

**FRIDERICVS CHRISTIANVS SCHVLZE**  
LANDSBERG.

LIPSIAE  
LITERIS RVM PFIIS.







AN  
STATVTRIA PORTIO DEBEA-  
TVR VXORI, QVAE CVM REFRACTA-  
RIO INVITO SACERDOTALI COPVLA CON-  
IVNCTA EST, LICET CVM EO POSTEA  
THORVM NON ADSCENDE-  
RIT.

---

---

§. I.

Quamquam dubitandum non sit, nostrates ratione bonorum coniugum inter se atque successionis iuris romani placita ut plurimum comprobasse; tamen negari nequit, plurima adhuc superesse veteris Germaniae iuris vestigia in foris electoralium terrarum, quae romani iuris immoderata et multoties incepta applicatio tollere non dum potuit. Ita quidem negari nequit, veram illam communionem bonorum inter coniuges ratione acquaestus apud nos vix immutatam superesse, quae olim multis Germaniae populis placuerat. Ita olim WISIGOTHI Legibus suis Lib. IV. tit. II. §. 16. hanc societatem acquaestus comprobauerunt. Nec ignota fuit RIPVARIIS Gente Franca qui Legibus tit. XXXVII. eandem communionem exhibent,



bent, cum coniugi ex acquisitis portionem statuant. Ita  
lx: *Si maritus vxori per seriem scripturarum itib[us] conrule-  
rit, si virum superuixerit, L. Solidos in dotem recipiat, et TER-  
TIAM PARTEM de omni re, quam simu*CONLABORAVE-  
RINT*, sibi studeat euindicare.* Nec alia portio aliaque  
quam communionis acquaestus iura inter coniuges florue-  
re inter Francos sub *Carolo M. et Ludomico Pio*, ut testantur  
**CAPITVLAR.** *Lib. IV. §. IX.* Eandem acquaestus-commu-  
nionem inter Thuringios probat **HEINECCIVS** in *Elem. Iur.  
Germ. L. I. tit. XII. §. 271.* Inter SAXONES *Lege sua teste-  
tit. VIII.* acquaestus obtinuit, ex quo capite illustrandum  
**IVS SAX. PROVINC.** *Lib. I. art. 31.* Sed quibus etiam  
gentibus haec acquaestus communio probata fuerit, tamen  
intaetam eam nobis relixtam esse, omnino negandum vi-  
detur, vixque cuiquam culpa tribuenda, quam juris ro-  
mani studiis in forum protrusis, quibus patria, suis mori-  
bus et legibus contenta, tuto carere potuisse, maxime  
cum aliae romanorum politias causae, reipublicae indoles,  
et morum habitus fuerit, quam nostrum.

## §. II.

Non omnino tamen omnis acquaestus communio-  
nis materia cessavit, quod probat *vsus portionis statutariae*,  
quam recte docti ex hac communione deducunt, quaeque  
ad exitandas lites de rebus, quae acquaestum constituant,  
legibus atque statutis determinata esse videtur. Conclu-  
do itaque, tacite posse adhuc a parte vxoris communionem  
acquaestus statui, ita tamen, ut in arbitrio viduae positum  
sit, an velit videri vixisse in communione acquaestus, an  
malit matrimonio durante iudicari bona ex lege peregrina.  
Hoc idem est, si dicamus, habere coniugem electio-  
nem mortuo marito, sibi *statutariam portionem* capiendo, vel  
sua propria repetendi. Quare si *statutariam portionem* eli-  
git vidua, habenda est vixisse in communione acquaestus.

Vix

Vix enim effectus adesse posset, cui nulla esset causa. Sin nolit statutariam portionem, negandum erit, eandem cum marito vixisse in communione acquaeſtus.

§. III.

Accedamus ad rem. Eligat sibi vidua portionem statutariam mortuo marito, succedat ergo ex germanici iuris rationibus, nuquam ad hanc veniat successionem, nisi vera *vxor* fuerit *germanica*. Romanis legibus consensus nuptias faciebat, hinc dotalibus instrumentis confectis, quibus *vxor* declarabatur, *vxoris* habebat quoque iura. Non ita populares, qui *vxori* non prius matrimonii plena concesserunt iura, nisi in thoro *vtrique* coniuges possessionem ceperint. Quamuis enim religio externa iuferit benedictione sacerdotali coniungi coniuges, ipsique in conspectu ecclesiae coniuges pronuntientur, tamen sponsam copula sacerdotali marito iunctam *vxorem* statim compellare eique ante thorum adscensum virginitatis titulum negare, nefas omnino moribus haberetur, nec *vsu* comprobaretur. Conclidimus itaque, viduam, quae portionem sibi electura est statutariam, non tantum autoritate ecclesiae iunctam esse debere marito, sed adscensum quoque ab eadem esse debere coniugale thorum. *Vsu* hoc in nostris foris comprobari docet res iudicata, quam refert *III. HOMMELIVS Rhaps. obs. 472.*

§. IV.

Quapropter, si autoritate ecclesiae marito iuncta *vxor*, mortuo ante adscensum thorum, non recte eliget portionem statutariam: non enim *ad hue* *vxor* facta fuerat. Sed quid? an anticipatio adscensi thalami iustum efficiat electionem portionis statutariae? Dissentient eruditi. Negat *STRYCKIVS ad Brunnem. L. II. c. XVII. §. 40.* quippe non, ut *lure Provinciali* requiritur, scilicet ad perficiendum matrimonium, adscensus sit thalamus. Contra adſirmat anticipationem adscensus thori ſufficere *BERGERVS in Oecon. Iur. L. II. tit. IV.*



*Tb. XLIII n. 2.* Sed si dicendum quod res est, verior videtur  
mihi Stryckii sententia. Quamvis enim haud negem inter-  
dum interueniente fictione alteri succurri posse, ut legitimatis  
per subsequens matrimonium, qui finguntur nati post sa-  
cerdotatem copulam, aut magis in eorum fauorem illa so-  
lennitas ecclesiastica retrotrahitur fictione ad tempus con-  
cepti partus. Sed sicut ex iure romano fictionum pleno  
haec legitimatis autoritas recepta, ita nec mirum videbitur,  
si tantum obseruemus, partui illo ante matrimonium  
edito nihil imputari posse ob parentum delictum. At suc-  
cessio illa in statutaria portione ex patro tantum iure tantum  
deriuanda, quod ius fictionum nefcum. Et cur delicto quasi  
premium demus, si stuprum delictum est legibus coercen-  
dum. Neque enim benedictio ecclesiastica efficere potest,  
vt ea obtenta desinat commissum haberi delictum, quod pa-  
tet ex poena *anticipari concubitus*, quae nihilominus infertur  
coniugibus, licet benedictione clerici coniuncti sint. Quis  
amplius thalami et thori coniugalnis sanctitatem leto tribuat  
stupro et libidine illicita inquinato? Nunquam ergo dica-  
mus stupratorem atque stupratam adscendisse thalamum,  
cum inuicem rem haberent, quippe lex adscensum thori ex-  
igit, non corporis deflorationem, quod et BERGERVS c. l. ad-  
serit. Addo: Cum portio illa statutaria acquaestus commu-  
nionem statuat inter coniuges: quomodo fingamus hanc  
communionem tunc iam fuisse, cum concumberent, qui con-  
cubendo nolebant tunc videri et esse coniuges. Tandem  
cum inter Germanos solennitas externa quaedam antiquitus  
fuisse videtur illa adscensio thori post copulationem, et quae  
iusta efficiebatur per benedictionem, quas opiniones adhuc  
alit et germania et ecclesia, quomodo illicitum actum vene-  
ris sola fictione legitimum atque ecclesiae praecepsis con-  
uenientem faciamus, quod tamen necesse esset, si eadem  
anticipationi libidinis effectum attributuri simus iustae  
illius

illius solennitatis adscensio thori. Neque infertur viduae nouiter nuptae tunc iniuria. Repetat enim, quae marito intulerat. Nam solo eo, quod portionem statutariam non capiat, laesa videri nequit; Est enim vxor legitima ex romano iure, non aequa ex germanico.

§. V.

Sed quid? si femina legitime viro iuncta sit sacris ceremoniis adhibitis, maritus vero detrectet adscensum thori coniugalis atque malitiose differat, ne nouae nuptiae perfecti coniugii iura conferat, an tunc, si maritus moriatur, vidua nihilominus, si sibi ex bonis mariti portionem statutariam, collatis suis illatis, eligere velit, audienda sit. Adfirmant plerumque, et, ut videtur, recte. Quare etiam BERGERVS l.c. ad rem iudicatam Vitebergenium ICtorum prouocat. Defendit eandem opinionem MEVIVS in *Iur. Lubec. P. II. tit. II. art. XII. n. 272.* qui et consentientes adducit alios resque iudicatas. Causa vtique est, quia dolus culpaue mariti, qui detrectat adscensionem thori, ad quam praestandam ex matrimonio inito erat obligatus, vxori paratae ad adscendendum thorum impurari nequit, ut suo ob alterius vel dolum vel culpam iure atque iuris beneficio haud priuari possit. Nec opus, ut fingamus adscensum thalamum, quippe a fictionibus abstineamus melius in rebus patrii iuris. Satis est, potuisse adscendi thorum, adscensumque futurum, nisi alter vel dolo, vel sua culpa efficerit, quominus adscensus sit.

§. VI.

His ergo positis, iam ad dubiam nostram quaestionem veniamus. Titius stuprum spe matrimonii sponsae Caiae intulerat, grauidamque dein deserere cogitabat. Conuentus in iudicio, quamuis studiose refractarium ageret, ad consumandum matrimonium per sententiam latam condemnatus resistens atque inuitus, ut tunc solet legitime fieri, copula sacerdotali coniungebatur cum impregnata sua sponsa. Peractis his



his solennitatibus ecclesiasticis e vestigio nouiter nuptam  
ad sociatam sine vteriori mora deserebat atque in alium lo-  
cum abibat, relictis adeo quibus dambonis. Interie~~cto~~ tem-  
pore cum de mariti domicilio tandem notitiam vxor obti-  
nisset, nuntium de eius accipit morte et relictis ab eo testa-  
menti tabulis. Partus, quem sponsa copulata viro in vtero  
gestasset, praemortuis fuerat. Postquam de mariti morte  
vxor certiorata heresque in testamento scriptus heredita-  
tem adierat bonorumque; quae in priori domicilio maritus  
demortuus, cum nouam nuptam desereret, reliquisset, pos-  
sessionem apprehendere veller, vrget vidua facta sua iura in  
petenda portione statutaria. Negat heres, hanc viduae de-  
beri posse portionem, vel quod maritus inuitus coactusque  
eandem duxisset, imo se eam nolle habere coniugem in ipsa  
sacerdotali copulatione palam professus sit, vel quod nu-  
quam thori socia facta fuerit. Quae situm est, an his argu-  
mentis non obstantibus, nihilominus viduae portio illa de-  
beatur. Ii, qui fictione minus idonea retrotrahunt hyero-  
logiam ad carnalem copulam, habent, vnde viduae tribuant  
portionem statutariam. At, si argumenta, quae §. IV. dedi-  
mus vincant, neque fictio admittenda: Quae ergo sententia  
obtineat? Non dubito viduae, iis argumentis non obstanti-  
bus, portionem statutariam recte deberi. Licet enim inuitus  
et relu~~c~~tans ad copulandum coactus sit maritus; tamen cum  
ex sententia, iusta illa sit coactio, dissentiendo nullam  
habuerit causam, marito refractario nulla ex defectu con-  
sensus erit legitima excusatio denegandi perfectionem ma-  
trimonii per adscensum thorum. Cum itaque dolose non  
perficerit matrimonium, neque viduae propterea quid im-  
putari possit, ex argumentis §. V. adductis, portio statuta-  
ria negari nequit.

Leipzig, Diss., 1772 A-R



f

TA-70L

nur 23. Stck. höher verka.



B.I.G.

Farbkarte #13



9  
1772, 22.  
QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN

STATUTARIA PORTIO DE-  
BEATVR VXORI, QVAE CVM RE-  
FRACTARIO INVITO SACERDOTA-  
LI COPVLA CONIVNCTA EST, LI-  
CET CVM EO POSTEA THORVM  
NON ADSCENDERIT

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING  
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITER. DUISBURG.  
SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE XII. OCTOBR. ANNO CICICCLXXII.

DEFENDET

FRIDERICVS CHRISTIANVS SCHVLZE

LANDSBERG,

LIPSIAE  
LITERIS RVM PFIIS.

